



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

De Cordibus Lapideis, Quae in agro Paderbornensi, miro naturae artificio,  
erutis è terrâ saxis inclusa passim reperiuntur, ad effigiem cordis humani  
affabrè conformata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

A D

FERDINANDUM

LIB. BARONEM DE FURSTENBERG,

*Canonicum Moguntinum & Paderbornensem, unicum defuncti fratris filium, decimo ætatis annis, vota carminibus concepta nobis offerentem Cal. Januariis, An. M. DC. LXXII.*

CARE nepos, FERNAME, domûs spes unica nostræ,  
 Qualis Dardaniæ gentis Iulus erat;  
 Sic tua, Cælicolæ, patriæ sic vota secudent,  
 Et rata sint animi vota precesque mei;  
 Ut mihi Piëridum munuscula grata fuère,  
 Ingenii flores primitiæque tui.  
 Pergè, precor, socias virtuti jungere Musas;  
 FURSTENBERGIACÆ Numina fausta domûs:  
 Quæ te, Majorum sacra per vestigia sistent,  
 Mons ubi se gemino tollit in astra jugo.  
 Haud etenim tibi fas humiles perrepere valles,  
 Nomina qui MONTIS PRINCIPIS alta gerit.

DE CORDIBUS LAPIDEIS,

*Quæ in agro Paderbornensi, miro naturæ artificio erutis è terrâ saxis inclusa passim reperiuntur, ad effigiem cordis humani affabrè conformata.*

ASPICE, Saxonicus largis ubi fontibus ortus  
 Lenè Padus vitreis per vada serpit aquis,

Cot.

Cordis ut humani ducentia corda figuram  
Exhibeat ferro fracta vel igne silex.  
An superant jactis hæc post vestigia saxis,  
Deucalion, generis semina dura tui?  
Saxonis an propius mores, & nescia signant  
Pectora nativam ponere duritiem?  
Quicquid id est: si corda gerunt hîc eruta saxa;  
Quos animos fortes credis habere viros?

A D

S. URSULAM VIRG. & MART.

de natali suo,

*Qui fuit XII. Cal. Novemb. An. M. DC. XXVI.*

**V**irgineas acies quæ Te lux ordine longo  
Ducentem superas vidit inire domos;  
Auspiciis hæc ipsa tuis, fortissima Virgo,  
Me vitæ limen vidit inire meæ.  
Hinc Tibi sacra fero, voti vaque dona quotannis;  
Natalémque tuum ritè meumque colo.  
Vela Caledonium si Te rapuère per æquor,  
Excepitque tuas barbara terra rates:  
At fera Te superis tempestas appulit oris,  
Optatæque tibi mortis aperta via est.  
Nos quoque jactat hiems, & cùm superasse procellas  
Credimur, in portu naufraga turba sumus.  
Tu porrò secura maris precor, Ursula, portum  
Ut teneat, nostræ dirige navis iter.

P 4

A D